# Natalicia

Principis generosissimi

# Friderici Guilielmi IV.

die XV. Octbr. MDCCCXLVII.

pie celebranda

indicunt

**Academiae Albertinae**

**Prorector et Senatus.**






Regimonti Borussorum,

Typis Academicis Hartungianis.

# Dissertatio

## de syllabis duplicatis tertia.

(Contin. §. 8.)

His tribus praetermissis causae ancipitis patroni accumulant substantiva *θόρυβος ἐκ τοῦ θροῦς καὶ βοή, πτισσάνη ἐκ τοῦ πτίσσειν καὶ ἄνειν, χρόνος ἐκ τοῦ χέειν καὶ ῥέειν, Νηρεὺς ἐκ τοῦ νάειν καὶ ῥέειν,* quae omnino non digna essent memoratu nisi hinc pateret haec de conjunctione synonymorum opinio quam late olim propagata fuerit nec solum Byzantios tenuerit etymologos, sed etiam majoris auctoritatis Grammaticos; nam illud de *πτισάνη* commentum Pausaniae fuit Atticistae v. Casaub. ad Athen. X. 455. E. et huic simile Apollonii in Lex. Hom. *μόρφνον μορόφονον, τὸν διὰ φόνου τὸν μόρον ἐπιφέροντα* [1]). Nec suspicio abest hujus quoque sapientiae satores fuisse Stoicos omnium vocabulorum elementa prima eruere conatos.

Altera est quae dicitur *σύνθεσις τῶν αὐτῶν*, cujus significationes pleraeque eaedem sunt quae parathesis; nam cum *λεπτὰ λεπτά* convenit *λεπτεπίλεπτος* et *φαυλεπίφαυλος*, utrumque in Anthol. novitiumque *κακιγκακῶς* Constant. Manass. v. 2260. et 3000. cui antecessit *τὰ κακὰ τῶν κακῶν* et contrarium *τὰ καλὰ τῶν καλῶν* hoc est *τὰ κάλλιστα* v. Meinek. Hist. Com. 1. 69. Ab illo *μικρὸν μικρόν* non multum discrepat *λιγόλιγον* sensim, quod Du Cangius affert, et adverbia superius

---

1) In Philem. Lex. I. 152. p. 100. male scriptum est *ἐκ τοῦ μόρος καὶ φόβος ὁ μόρφνος ἀετός* pro *μόρος καὶ φόνος*. Quod ibidem dicitur *ἐκ τοῦ ἱκέσθαι καὶ θύειν ὁ ἰχθύς* pertinere videtur ad atticam, ut dicitur, scripturam *ἰχθύς* v. ad Aj. 1297.

dicta *πάμπαν* et *παντάπασι*. Verum *προπρό* sive simplex sive verbo sociatum proprie significat actionem procedentis iteratam, nec raro disjuncte scribitur. Eademque scripturae inconstantia cernitur in relativis latini sermonis utut, ubiubi, undeunde etc., sed ratio longe diversa est; his namque reiteratio conciliat notionem universitatis, quae saepius exprimitur particulis, ubicunque, quicunque, *ὅπως δήποτε*, *ὅσος δήποτε*, sed *ὅσος ὅσος* Graeci non dicunt nisi in neutro, idque alio intellectu, vel proprio hoc est quantumcunque, vel de re exigua; nam qui sic loquuntur, exiguitatis suspicionem relinquunt [2]). Itaque plerumque indicat quantulum quantulum, sive aliquantulum ut in Anth. V. 55. *ἀμφασίης ὅσον ὅσον ὑπεπρήϋναν ἀνάγκην*. Verum tamen ut hoc clarius appareat, saepe additur vel adjectivum proprium hujus rei ut in N. T. loco *μικρὸν ὅσον ὅσον*, vel nomen rei exiguae *ὅσον ὅσον στίλη* Aristoph., *ὅσον ὅσον στιγμή* Anth. VII. 472. quod Naekius de Hecal. p. 84. pro *τόσον ὅσον* positum putat, ut *ἦμος ὅτε* pro *τῆμος ὅτε*, sed relativum *ὅσον* non sic ut *ὅς* pro *οὗτος*, demonstrativi loco ponitur. Ab his omnibus differt iteratio numeralium, qua scriptores indiserti inopiae distributivorum medentur *δύο δύο* bini in libris V. et N. T. [3]). Et sic hodie loquuntur in Graecia, *ἔρχονται ἕνας ἕνας* singuli, *μιὰ μιά* singulae, sed veteres *καθ' ἕνα*, *ἀνὰ δύο* etc. Sophocles vero *μίαν μίαν* non hoc intellectu posuisse videtur, sed pro sensim ut quidam recentiorum v. Du Cang. Sic enim convenit cum exemplo a Grammaticis apposito *μᾶλλον μᾶλλον*, cujus vis successiva est ab Euripide translata ad verbum *λαβὼν γὰρ ἐλάτης οὐράνιον κλάδον κατῆγεν, ἦγεν, ἦγεν εἰς μέλαν πέδον* Bacch. 1062. a Nonno autem, quum hunc ipsum locum imitando exprimeret, ad nomen: *κόρυμβον χειρὶ πιέζων εἰς πέδον, εἰς πέδον εἷλκε*.

Jam mihi omnia anadiplasiasmi genera enumerasse videor, primum clitici, qui in temporibus verbi obliquis existit, tum ejus quo casus recti nominum verborumque afficiuntur. Hunc autem partim ab arbitrio loquentium proficisci dixi nullamque

---

2) *Ποσόν* Galenus in Gloss. interpretatur *ὀλίγον*.

3) v. Winer in Gramm. N. T. §. 38, 3. et 58, 1. qui his confert Exod. VIII. 14. *συνήγαγον αὐτοὺς θημωνίας θημωνίας* id est acervatim.

vim habere nisi soni amplificandi, partim ab imitatione naturae, hoc est onomatopoeticum, qui vel ad auditum pertinet vel ad visum. Cujus fictionis similitudinem quandam praebet sermo germanicus; nam sonum iteratum imitamur iterandis literis Klingklang et similiter Angli ding-dong. Sed eodem modo etiam res, quae oculis cernuntur, repraesentamus Zikzak, Wirrwarr, Mischmasch, quod illi mingle-mangle vocant, Francogalli pêle-mêle v. Proll. 285. et ulterius progressus sermo vulgi res vanas futilesque nominibus effuticiis depingit ut Firlefanz, quod latine dici potest titivillitium, Schnickschnack, cui par et geminum est anglicanum chitchat et assimile whimwham idem fere significans quod a nostratibus dicitur Schrolle. Hujus parechesis vel, ut hodie dicimus, assonantiae ludicrae exemplum latinum est butubatta, quod Naevius et Plautus pro nugis posuerunt, et graecum *συρβάβυττα τάραχος καὶ τύρβη* EM. Phot. cui conferri potest germanicum illud Wirrwarr; nec piget addere, quo Graeci hujus aetatis vultum trucem et morosum designant, *τζιγκριμίγκρι*, cujus una pars est *τζίγκρα* frons contracta vel *τζιγκρός* i. q. *στυγνός* [4]) sive *σκυθρωπός*, altera intellectu caret.

---

## C. II.

### de sublatione reduplicationis.

§. 1. Peculiare quoddam genus aphaeresis Grammatici arsin vocant, ut Joseph in Synops. 566. *ἄρσις ἐστὶν ἀποβολὴ κατ' ἀρχὴν τῆς ἀναδιπλουμένης συλλαβῆς οἷον βλῆσθαι, βλήμενος, δέγμενος,* quod Trypho propter anabibasmum accentus Aeolensibus tribuit, Gregorius modo doricae dialecto modo ionicae. Et de exem-

---

4) Huic affine videtur *Ζιγνῶ καὶ ζιγνῶσαι τὸ σκυθρωπάσαι* Zonar. 960. In Theognost. Can. 20, 3. *πᾶσα λέξις ἐκ τοῦ ζυ ἀρχομένη ζύμη, ζύθος, ζύγλορον κιβωτός, ζυχεινεῖ τὸ μύει* pro *ζύγλορον* scribendum est *ζύγαστρον*, pro ultimo *ζυγνεῖ*, quod et Hesychio restituendum pro *Ζυγκλεῖ σκυθρωπάζει, μύει.*

plis ipsis controversia est: *ἐβέβλητο κατὰ συγκοπὴν ἔβλητο* — *βλήμενος ἐκ τοῦ βεβλημένος κατὰ συγκοπήν* EM. 200, 4 — 12. *πέρθαι ἀποβολῇ τοῦ διπλασιασμοῦ ἀπὸ τοῦ πεπέρθαι* p. 663, 42. *ἐν τῷ δέχθαι οὐκ ἀφαίρεσις γέγονεν, ἀλλὰ συγκοπὴ αἰολική* Eust. 73, 11., qui quum non simpliciter syncopen sed aeolicam vocat, fortasse hoc significat, *δέχθαι* non ex *δεδέχθαι* contractum esse sed ex *δέχεσθαι*. Ea certe sententia fuit Scholiastae A. ad Il. V. 153. *δέδεξο· ἡ διπλῆ ὅτι εἴωθε περιττεύειν τῇ συλλαβῇ ὡς πεπίθωνται, λελάχωσι*, qui si imperativum *δέδεχθε* legisset in H. H. in Apoll. 538. eodem modo auctum dixisset. Et quod idem adnotat ad Il. VIII. 296. *δεδεγμένος αἱ Ἀριστάρχου· Ἡρωδιανὸς δὲ διὰ τοῦ χ δεδεχμένος*, indicio esse videtur hunc *δεδέχμενος* scribi voluisse ut Sch. Il. IX. 191. *δέγμενος γράφεται καὶ δέχμενος* [5]), ad significandum, nisi fallor, participium praesentis vel ut hodie dicimus, aoristi [6]). Nam in nominibus quidem literae *χμ* non raro conveniunt *ψυχμός, ἀμυχμός, μιμιχμός*, aliisque haud paucis v. Parall. 395., sed in perfectis passivis, quibus Homerus utitur, *τετυγμένα, μεμιγμένα, προλελεγμένα* [7]) nulla scripturae diversitas adnotata est praeter Od. XIII. 435. ubi Eustathius *διχῶς φέρεται μεμορυγμένα ἢ μεμορυχμένα*, quod Bekkerus probavit, idemque cod. Med. in Nic. Al. 318. praebet, nec dissimilis fuit in participio *διαπεπλιγμένα* discrepantia in quodam Hippocratis loco, *γράφεται γὰρ ἑκατέρως διὰ τοῦ γ καὶ τοῦ χ* Galen. in Progn. I. 18. p. 63. T. XVIII. P. I. *Δέχμενος* igitur qui scripserunt, *δεχόμενος* pro integro habuisse videntur, sicut *ἄρχμενος* ex *ἀρχόμενος* contractum dicitur, et ejusdem temporis esse arbitror quae Hesychius producit *Ἐεχμένη συνεχομένη, Ἔχμενος ὑποτεταγμένος, Ὑποεχμένη ὑπείκουσα θεραπεύουσα*, quo loco *ὑποεγμένη* scriptum

5) Schol. Il. XXIII. 273. *διχῶς Ἀρίσταρχος δεδεγμένα καὶ δεδεχμένα*, quod fortasse proparoxytonon esse voluit. Nunc tamen ubique scribitur *δέγμενος* et *ποτιδέγμενος*.

6) *Δέγμενος ἀπὸ τοῦ δεδεγμένος κατὰ συγκοπήν, ὡς εἶναι παρακείμενος, ἢ ἀπὸ τοῦ δεχόμενος ἐνεστώς· τὸ δὲ χ εἰς γ μετεβλήθη τῆς συντάξεως οὕτω ἀπαιτούσης* EM. 252, 42. Hic saepius syncopae nomine significat aphaeresin: *ἐγείνατο καὶ κατὰ συγκοπὴν γείνατο* p. 229, 15. *ἔφατο συγκοπῇ φάτο* 788, 43.

7) *Ἀκαχμένος ἀπὸ τοῦ ἀκάζω τροπῇ τοῦ σ εἰς χ* Schol. B. ad Il. X. 135. EM. 45, 48. Rectius nostri docti ad thema *ἄκω* referunt.

est praeter ordinem. Alia verba in χω exeuntia apud Homerum non leguntur. Sed de participii illius scriptura utcunque statuetur, de tempore certe jamdudum convenit et pariter ceteris modis illa arsis species nunc detracta est praeter Il. XII. 147. *σύεσσιν ἐοικότε τώ τ' ἀνδρῶν δέχαται κολοσυρτόν*, quanquam id quoque in certamen vocatum esse ostendit subscriptio *οὕτως ἐν ἁπάσαις*, unde suspicor fuisse qui dualem *δέχθον* id est *δέχεσθον* substituerent ut *δέχθαι* ex integro *δέχεσθαι* factum dicunt. Haec pluribus edisserui ad Buttm. p. 17. et 21. *Μνήμενος* in versu ignoti poetae Arist. Rhet. I. 11. p. 1370. b. 5. *μετὰ γάρ τε καὶ ἄλγεσι τέρπεται ἀνὴρ μνήμενος ὅστις πολλὰ πάθῃ καὶ πολλὰ ἐόργῃ* significationem perfecti *μεμνημένος* habet sed accentu congruit cum aoristo *βλήμενος*. Germana vero perfecta reduplicatione destituta exhibet Hesychius *Θνάναι ἀποθανεῖν* mendose scriptum pro *τεθνάναι*, *'Εκταρβημένος ἐπτοιημένος*, *'Εμπλησμένος πεπλησμένος*, *Στηριγμένος ἱστάμενος*, *Φλασμένος τετυφωμένος*, et futurum tertium *Μάρσεται κτήσεται* cui Jensius *μάρψεται* substituit contra ordinem; alia Suidas *'Εμφαλκωμένος περιπεπλεγμένος*, EM. 458, 40. *Θυμμένον τὸ ὑπὸ πυρὸς βεβλημένον* [8]), quorum nonnulla fortasse a librariis mutilata sunt ad hoc vitium proclivibus ut *κατέτηκτο* Paus. IV. 3, 3. quod nunc correctum est, *συνέχυτο* Dio Cass. XXXIX. 54., quibus aliquanto tolerabilius est *κατέκλειστο* Xenoph. Eph. II. 9, 1. Graecisque novitiis condonantur *βαπτισμένος*, *κατακαυμένη* v. Reisk. ad Constant. Porph. p. 104. (332. ed. Lips.) *προτινάχθω* Medd. Mosqq. p. 151. nec offensioni est *δενδροκοπημένη* Diod. XII. 45. et similiter composita. Sed plurimum admirationis habet *γέγωνα*, quod non solum apud Homerum sed etiam in tragicorum fabulis et in soluta adeo oratione hoc uno modo scriptum invenitur, praesens autem huic conveniens *γώνω* ignotissimum est. *Χύτο* in Nonn. XXXII. 30. aoristi figuram sed plusquamperfecti significationem habet; *συνέραπτο* Quintus usurpavit IX. 359. altero rho praetermisso. Pro *κατένασθε*, quod Matthiae Gramm. I. 619. ex Aristophane affert, nunc *κατένασθεν* scribitur, pro *Περιεκώκυτο περιηχεῖτο* Hes. ponendum est *περιεκωκύετο*,

---

8) Sylburgius *θύμμενον* (sic enim vulgatum est) cum *βλήμενος* confert; pro *βεβλημένον* ille fortasse *βεβλαμμένον* scripsit.

et quod idem affert *Λῆτο ἐλέληστο* a *λάω* ductum (Techn. 94.) ejusdemque temporis videtur ut *Πλῆτο ἐπλήσθη ἤγγισεν*, sed *Μῆστο ἐβουλεύσατο* syncopae speciem praebet. Consonam syllabae repetitae nonnunquam praetermitti, manente vocali Grammaticis persuasum fuit, sed exempla, quibus id comprobare conantur, aut non reperiuntur ut *ἀπεδήμηκα* v. Meinek. Com. Fr. P. I. 413. aut e vitiosis libris ducta sunt ut *ἐπαττάλευμαι* Mein. l. c. 107. et *ἐνωγάλισται*, quod idem jure rejicit Vol. III. 212. Indubitatum vero praesens *στήκω*, quod aliquoties in N. T. legitur pro *ἑστήκω*, quo Posidippus usus est in Anth. App. n. 65. Grammatici vero, qui de *πεφύκω* et similibus disputant, illud non attingunt sed Choeroboscus Can. p. 870. adhibet futuro *ἑστήξω*, geminum *τεθνήξω* praetermittens. Atticam reduplicationem scriptores inelegantiores saepe negligunt: *ἐπηγερμένος* Socr. Epist. XXVIII. 33· *διωρυγμένον* Phot. Bibl. CCLVI. 767. *προσήνεκται* Strab. X. 484. (codd. *προσενήνεγκται*) *ἐξηλεγμένον* Liban. T. II. 335. *ἠλέγχθαι* Charit. V. 6, 118. *ἐξήλεγκτο* Dionys. de Lys. XXIII. 23. e Lysiae loco sumtum, in quo Bekkerus ex uno cod. *ἐξηλέγχετο* restituit, *ἠρισμένος ἐστηριγμένος* Hes. multisque aliis in verbis quae indicavi ad Phryn. p. 31. *Κατήνοκα* (sic) *κατενήνοχα* Hes. ex ordine scriptum sed auctor ignotus; pro *ἠλύθαμεν* Hes. Theog. 660. revocata est antiqua scriptura *ἠλύθομεν*, manet vero manebitque *ἤλυθα* in Anth. App. CCVII. Praepositam verbo praesenti syllabam arsi sublatam esse, nullum sat certum exemplum invenio; *ἀποδράσκω ἀντὶ τοῦ ἀποδιδράσκω*, quod Anonymus de Quat. Part. in Rhett. T. III. 579. a scriptoribus quibusdam suae aetatis nescio qua affectione elegantiae usurpari narrat, potius inscitiae tribuendum est, ut *διέδρασκε* in Sopatri Diaer. p. 253. T. VIII. *μνήσκομαι* 9) ex Anacr. Fr. jam sublatum esse dixi Techn. 62. adn. *γνώσκω* Heraclidis inventiuncula est Eust. 1722, 40. *τρώσκεσθαι ἐκτιτρώσκειν* Galenus unde sumserit mihi non constat; apud Hippocratem solum *ἐκτιτρώσκειν* reperi T. I. 323. 326. T. II. 850. T. III. 743. 745. et saepius *φθείρειν τὸ ἔμβρυον*, *διαφθείρειν*, *ἀποφθείρειν*. In contrariam partem peccarunt librarii *τιτρωσμός* scribentes in Hipp. Muliebr. I. 649. T. II. pro *τρωσμός*, quod in eodem libro idemtidem legitur p. 680.

---

9) Latini verbi miniscor consonae extremae non ex graeco derivatae sed domesticae sunt ut gnascor, gnosco.

687. 690. 693. et de Septim. 447. T. 1. ἐκτρωσμός Muliebr. I. 729. Nam a verbis, quae reduplicationem in futuro exuunt, nomina propagantur non duplicata; κίχρησις ignobilissimum auctorem habet Tzetzam; pro Μίμνησιν ἀνάμνησιν ποιῆσαι Hes. non interrupto literarum ordine scribi convenit Μίμνησκε-ποίησαι ex Od. XIV. 169. μηδέ με τούτων μίμνησκ' — Quae vero acceperunt anadiplasiasmum, eo rursus privari non constat; nam κρύφαλος, quod aliquoties legitur pro κεκρύφαλος, aut plebeja est dictio ut conia pro ciconia, aut ab alia stirpe ductum.

---

### De syncope duarum literarum et plurium.

§. 1. Primore loco agam de syllabis, quae ex consona et vocali constant: κῶμα ἐστὶ κατὰ συγκοπὴν ἀπὸ τοῦ κοίμημα ὡς οἴμημα οἶμα καὶ δόμημα δῶμα, καὶ τροπῇ τῆς οι εἰς ω κῶμα Schol. Apoll. II. 205. quod falsum est utrumque. Οἶμα non aliter quam οἴμη, οἶμος, ab antiquo οἴσω fero derivatum est impetum significans, ut φορά, ab οἶμος vero vel οἴμη verbum οἰμῶ, hinc Οἴμημα ὅρμημα Hes. quod quia alibi non legitur, Sopingius οἶμα scribi jubet. Δῶμα a δέμω traductum est cum necessaria ectasi; nam Δόμα τειχίον ab usu abhorret. Κῶμα a themate verbi κεῖμαι, unde κοῖτος, κοιμῶ, κοίμημα, quod diversam quidem a κῶμα significationem, sed eandem tamen originem habet. His propter similitudinem terminationis adjungenda sunt nomina, quibus quae exemta dicitur consona non eadem cum vocali caduca continetur syllaba, sed praetexitur proximae: σελίς σελίζω σέλισμα καὶ συγκοπῇ σέλμα Schol. Lips. ad Il. II. 170. Epim. I. 133, 8. Gud. 221, 36. cui quod consentaneum erat ut θαῦμα ex θαύμασμα concisum dicerent, id animum non induxerunt, sed aliam viam ingressi sunt παρὰ τὸ θαυμάζω θαύμασμα καὶ κατ' ἔνδειαν τοῦ σ καὶ κατ' ἀποκοπὴν θαῦμα· οἱ δὲ παρὰ τὸ θεῶμαι θέαμα καὶ κράσει θᾶμα καὶ θαῦμα· οὕτως Ἡρωδιανὸς (scilicet) ἐν ἐπιμερισμοῖς Gud. 256, 28. Si quid ulterius et magis primitivum desideramus, praesto est priscum θάω v. Techn. 5. cujus futurum θαύσω apparet in syntheto θαυσίκριον. Σέλμα varie enodatur Techn. 112. nec opus est ficticio σέλισμα. Duorum

nominum, quae Photius complectitur *Φενάγματα καταφενακίσματα*, alterum paronymon est a *φέναξ*, alterum a *φενακίζω*. Eadem ratio intercedit inter *πάλλαγμα* si Aeschylus ita scripsit Choeph. 293 (305.) et *παλλάκισμα* quod Robortellus edidit, atque *παλλάκευμα*, quod G. Dindorfius; nam haec si in usu fuerunt, a *παλλακή* propagata sunt, illud a verbo intermortuo *παλλάσσω*, cui cognatum videtur *παλεύω*. Haud plus momenti habent adjectiva verbalia, quorum uni tres literas elapsas dicunt: *ἐραννός παρὰ τὸ ἐρατεινός κατὰ συγκοπήν* EM. 369, 49., sed hoc ab *ἐρατός* productum, illud a verbo ut idem dicit 379, 5. *ἀπὸ τοῦ ἐρῶ ἐρανός ἐραννός ὡς πείθω πιθανός*, cujus multa reperiuntur similia sed nullum quod liquidam geminet. *Ἔξαιτον τὸ ἐξαίρετον κατὰ συγκ.* Schol. Apoll. IV. 1004.; sed alio vertit Sch. Od. II. 307. *ἐξαιρέτους τοὺς ἔξω αἰτίας ἢ τοὺς ἐπιθυμητούς, οὓς ἐξήτησέ τις*, interque has sententias fluctuat Eustathius, sed plerisque placere illud *ἐκ τοῦ ἐξαιρεῖσθαι* p. 210. 4. p. 907, 64. Haec significatio eximie convenit omnibus locis, altera nulli nisi per translationem, non inverecundam quidem illam, nam selecti et expetiti notiones conjunctissimae sunt, sed *ἐξαιτητός* tamen praeter Gloss. non legitur, rarissime simplex faciliorque est syllabae brevis jactura quam longae, neque aliud poscit Suidae glossa *Ἐξαίτης ἐξαιρέτης*. Permolesta est etiam haec quamvis lenior syncope syllabae *ρε̄*, sed amoveri non poterit, nisi fingamus verbum olim fuisse *αἴτω* eadem significatione, qua *αἱρῶ*. Proserpinae cognomen *ἐπαινή* nonnulli *ἐπαινετή* interpretati sunt vel ut compositum sic ut *ἐπίψογος* vel syncopen causati. *Τὸ ὀπτόν κατὰ συγκ. ἐκ τοῦ ὀπτητόν καὶ ἐκ τοῦ ἑψητόν τὸ ἑφθόν* Eust. 481, 35. EM. 403, 43. Primitivum haud dubie fuit *ἕψω* ac, si ulterius provehimur, *ἕπω* i. q. *πέσσω* sive *πέπω* coquo, unde *ὀπτός* derivari potuit ut *πεπτός* sed arbitrio quodam usus factum est ut coctum diceretur *ἑφθόν* sive *ἑψητόν*, assum *ὀπτόν*, unde verbum *ὀπτᾶν*, sed neque *ὀπτητός* neque *ἐξοπτητός*. Altero genere continentur adjectiva quaedam paronyma: *οὐδὲν εἰς ει̅ς λῆγον ὄνομα ὑπὲρ μίαν συλλαβὴν ἀρσενικὸν τῷ ι̅ παραλήγεται· τὸ τοίνυν χαρίεις σημειῶδες· ὁ μέντοι Ἀνακρέων χαριτόεις εἶπεν ἀποδοὺς τὸ ἐντελὲς τῇ λέξει* Herodian. *π Μον*. p. 14. syncopen significans ut EM. 34, 41. Epim. II. 328. quare *χαριτόεις*, quo etiam Sch. Il. XVII. 49. utitur, *ἀναλογώτερον* dicitur Zonar. 1841. sed quia metro heroico repugnat, cessit

habiliori *χαρίεις*, cujus simile adjectivum in *ιεις* reperiri negant. Frustra vero syncopen interponit EM. 505, 5. *ἀπὸ τῆς κέρατος γενικῆς κερατόεις καὶ συγκ. κερόεις.* Etenim hoc unicum est adjectivum in *εις* a nomine syllaba *ας* terminato, ideoque transiit ad formam eorum quibus substantiva in *ος* praecedunt. Ergo ut *θύος θυόεις, κρύος κρυόεις, θέρος θερόεις,* sic etiam *κερόεις* figuratum est quasi a recto *κέρος*, cujus speciem sequuntur syntheta *κεροβάτης, κεροφόρος* etc. ut *γῆρας γηροτρόφος.* Haesitatur in tertio *παρὰ τὸν εὔρωτα γίνεται εὐρωτόεντα καὶ συγκ. εὐρωέντα· ἢ παρὰ τὸ εὖρος εὐρόεντα καὶ ἐκτάσει εὐρώεντα* EM. 398, 1. Analogia neutri subvenit; nam ex numerosissima familia nominum neutralium in *ος* nullum progignitur adjectivum in *ωεις*, nisi forte *κητώεις* ejusmodi etymon habet ab usitato *κῆτος* cetus certe longe diversum; neque etiam quae cum *εὔρως* componi possunt *ἱδρώς, γέλως* etc. huc deducuntur praeter suspiciosum *ἱρώεις*, quod Grammatici quidam novitii afferunt non ut nativum sed ut ectasi auctum ex *ἱρόεις* v. Techn. 181. et Add. Attamen apud antiquiores certe praeponderat significatio putridi foedique, nominum autem in *ως* exeuntium tanta est paucitas, ut non mirum sit unius modo adjectivum reperiri. *Παρὰ τῆς ἠϊόνος γενικῆς γίνεται ἠιονόεις καὶ κατὰ συγκ. ἠιόεις* EM. 423, 39. Epim. I. 12, 21. de quo quam discordes sint sententiae supra expositum est. *Πιδήεσσα οἱονεὶ πιδακόεσσα κατὰ συγκ. καὶ τροπήν* Eust. 839, 4. quorum nominum utrumque in usu est, sed alterius origo nota, alterius opinabilis *πιδή* i. q. *πηγή* ut *αἴγλη αἰγλήεις, αὐδή αὐδήεις, τιμήεις* etc. indidemque *πιδάω* et *πιδύω* i. q. *πηγάζω* v. Techn. p. 107. [10]). Quomodo igitur a *φοινός* oritur *φοινήεις*, a *φοίνιξ* vero *φοινικόεις*, sic illorum adjectivorum stirps ultima eadem sed origo discreta. Cetera, quae Grammatici huc revocant, nulli uni generi subjici possunt. In loco suspecto Od. V. 337. *αἰθυίῃ εἰκυῖα ποτήν* adno-

---

10) Eustath. 697, 33. *τὸ πιδύειν κατ' ἐναλλαγὴν αἰολικὴν ἐκ τοῦ πηδᾶν γίνεται ἀφ' οὗ καὶ πιδύεσσα ἡ κάθυγρος καὶ Πιδύτης.* Is aut mendosam scripturam sequutus aut tropen vocalium commentus est; nam *πιδύεις* repugnat canoni *τὰ εἰς εις μετουσιαστικὰ ἐπιδέχεται τρεῖς παραλήξεις· ἢ γὰρ τῷ η παραλήγεται ἢ τῷ ο, σπανίως δὲ τῷ ω* EM. 34, 34. Pro *βαρύεσσα* in Andromachi versibus Galen. T. XIV. 40. facilis est correctio *βαρόεσσα* a *βαρόεις* ut *γλυκόεις.*

tatum est *ποτὴν πτῆσιν· ἄμεινον δὲ χωρὶς τοῦ ν̄ ἐν δοτικῇ· δύναται δὲ καὶ τοῦτο ὑπὸ τὴν συγκοπὴν εἶναι καὶ ἀπὸ τοῦ πετῶ (πέτω) γεγενῆσθαι ὡς νέμω νομή, στρέφω στροφή*, unde apparet alios *ποτῇ* pro *ποτητῇ* id est volatili accepisse, alios pro dativo substantivi *ποτή*, quod jure praeponitur. *Πρόμος ὁ πρόμαχος κατὰ συγκ.* Schol. A. ad Il. VII. 75. EM. Epim. I. 356, 9. Sed nominis *μάχη* syllabam capitalem excidisse tam praeter fidem est ut illud simplex esse credam cum *πρό* et *πρίν* connexum. *Παρὰ τὸ πιστός πιστόσυνος καὶ συγκ. πίσυνος.* EM. 639, 31. quod quam anceps sit consilium ostendi in Proll. 231. et 239. *Δυσβήρης ὁ δύσβατος παρὰ τὸ δυσβατήρης ἐν συγκ.* EM. 291, 43. Illud aeolicum esse creditur pro *δυσήρης* i. q. *δυσχερής*, cui contrarium est *εὐήρης* id est *εὐχερής*. *Παρὰ τὸ ἐτήτυμος ἐν συγκ. ἔτυμος* Choerob. in Psalm. 119, 22. quod aliter se habere antea disserui. Cum adjectivis aeolicis, quae a genitivis numeri pluralis orta dicuntur *ἄλλων ἀλλώνιος, ἑτέρων ἑτερώνιος* etc. Grammaticus in Exce. Cram. T. IV. 329. componit *ἀνέμων ἀνεμώνιος, ἀλλαχοῦ (ἀνεμώλιος καὶ) μεταμώνιος. Τοῦτο συγκέκοπται* (sc. *ἐκ τοῦ μετανεμώνιος*) *τὸ πρότερον τέτραπται.* Quo modo syncope evitari possit, apparet ex Proll. 135. Eandem significat nomine tacito Arcadius 79, 24. *τὰ εἰς τ̄ο̄ς̄ ὀξύνεται εἰ μὴ ἐκ πλειόνων συλλαβῶν εἰς δισυλλαβίαν μεταστῇ ὡς δύστος ὁ δύστηνος καὶ πόστος ἐκ τοῦ πόσατος. Δύστηνος* cum *ἄστηνος* ita congruit, ut nemo dubitet ex eadem stirpe nata esse; hoc autem Grammatici probabiliter a verbo *στῆναι* arcessunt, cujus prima elementa sunt *σ̄τ̄ᾱ*. Hinc *ἄστην* compositum est cui simile *δύστην* certe probabiliter fingi potest, sed ad *δύστος* qui perveniri potuerit non apparet nisi exaeresi vocalis principalis alpha. *Πρέσβα* et *πρέσβειρα* alio loco examinata sunt. Iam sermo deflectit ad substantiva, quorum unum est *ἄμμος* ex *ἄμαθος* concisum ut dicitur in Schol. Lyc. 247. sed hoc potius paragogum est ut *ψάμαθος* Proll. 35. *Βέρεθρον καὶ κατὰ συγκ. βέθρον. Κράτης καὶ Εὐφορίων οὕτως* EM. 194, 23. quod si contendimus cum congeneratis *βάθος βάσσος βῆσσα βόθρος βόθυνος*, credibile sit non *βέθρον* concisum sed *βάραθρον* dilatatum esse. [11]). *Ὀράμνους κατὰ συγκ. εἶπεν οἷον ὀροδάμνους παρὰ τὸ ὀρούειν* Sch. Nic. Th. 91.

11) v. Meinek. Anall. 147. qui quod affert *βάθρον*, a *βαίνω* derivatum est.

qui si non veritus esset voce thematica uti, sine dubio scripsisset *παρὰ τὸ ὄρω*, quod mihi quoque persuasum est non huic solum subesse sed etiam synonymis *ὄρσος*, quod in syntheto *ὀρσοδάκνη* delitescit, *ὄρπηξ*, *ὄρμενος*, *ὄραμνος ὀρόδαμνος ῥάδαμνος*, quorum postrema ad alias pertinent affectiones. *Γλαφυρὶς καὶ κατὰ συγκ. γλαρὶς ὃ σημαίνει σμίλην ἢ ῥίνην ἢ ὄρυγμα* (scr. *ὄρυγα*) EM. 233, 8. Si fictis rebus inniti libet, prae *γλαφυρίς* assumendum est verbum *γλάω*, unde illud officinae nomen produci potuit ut a *σμάω σμυρίς*. Nec quemquam movebit ejusdem affirmatio p. 550, 18. *κῶας κώατος καὶ παραγωγῇ κωατίδιον καὶ συγκοπῇ τοῦ ας κωΐδιον*, quod a *κώς* sive *κῶας* ductum est vulgoque sine iota scribitur. *Τὸ μάρτυς τινές φασιν ἐκ τοῦ μάρτυρος γενέσθαι κατὰ συγκοπήν· ἐν δὲ τοῖς ὀνοματικοῖς τοῦ Ἡρωδιανοῦ φέρεται ὅτι ἡ γενικὴ τοῦ μάρτυρος ἀνέδραμεν εἰς εὐθεῖαν ὁ μάρτυρος* Eust. p. 174, 13. p. 1807, 14. Hujus anadromae exempla multa allata sunt in Parall. 217. sq. *Μέσση κατὰ συγκοπήν* Steph. cui Berkelius *ἀποκοπή*, ut Strabo vocat, supponit, sed et Schol. A. ad Il. II. 581. *Μέσσην τὴν Μεσσήνην λέγει συγκόψας τὸ ὄνομα.* Cetero qui neutrum valet; nam *Μεσσήνη* mera paragoge est. v. Parall. 176. eodemque in libro 384. rejeci syncopen ab Eustathio excogitatam *Πολυποίτης ἐκ τοῦ Πολυποινίτης.* Cur vero pro *Ἠλίδειος* dicatur *Ἠλεῖος* alia ratione explicant: *ἀπὸ τῆς Ἠλίδειος ἀναλόγως Ἠλίδειος ὡς Ἀδωνίδειος καὶ Εὐπολίδειος κτητικῷ τύπῳ καὶ καθ' ὕφεσιν τοῦ δ̄ Ἠλίειος καὶ Ἤλειος* Steph. ubi deest crasis mentio, quae in EM. 426, 32. adjicitur *Ἠλίδειος καὶ ἀποβολῇ τοῦ δ̄ Ἠλίειος καὶ κράσει Ἠλεῖος.* Primitivi genitivus est *Ἤλιδος* sed gentilicii una forma innotuit *Ἠλεῖος* ut ab *Ἦτις τῆς Ἤτιδος ὁ πολίτης Ἠτεῖος* EM. 248, 36. in quibus apparet terminationem possessivam syllabae nominis indeflexi primariae agglutinatam esse. Sed *Ἀδώνειος* et *Ἀδωνίδειος* a diversis nominativis. Stephanus s. *Κυλλήνη — καὶ Κύλλιος λέγεται Ἑρμῆς κατὰ συγκοπὴν τοῦ Κυλλήνιος*, quod contra dici potest nomen *Κυλλήνη* derivati speciem habere ejusque primitivum esse *κυλλός* sive *κοῖλος*, unde alia quoque locorum nomina *Κοίλη, τὰ Κοῖλα.*

# Nomina civium academicorum

qui

in solemnibus regni anniversariis hujus anni victores renuntiati sunt.

## Ordo Theologorum

Rudolphum Hermannum Gorsall praemio quod accedentibus tribui solet, ornavit.

## Ordo Jurisconsultorum

Guilielmo Julio Hessen praemium primarium assignavit, Philippo Zenthöfer secundarium.

## Ordo Medicorum

Aurelio Augusto Lebrecht praemium secundi ordinis concessit.

## Ordo Philosophorum

Gustavum Robertum Kirchhoff propter commentationem physicam praemio duplicato honoravit, Hermannum Robertum Gieswald, qui quaestionem botanicam tractavit, praemio simplici.